

2

DE CVRA QVA RES PVBLICA  
PROSEQVI DEBEAT REM  
OBSTETRICIAM

COMMENTATIONIS MEDICAE

SECT. II.

SVBSIDIA COMPLECTENS AD REM OBSTETRI-  
CIAM EMENDANDAM EFFICACISSIMA

A V C T O R E

CHRISTIANO AVGVSTO LANGGVTH

PHILOSOPH. ET MEDICIN. DOCT. PROFESS. PVBL. EXTR.

ET SOCIET. OECON. ELECT. SAX. SODAL.

HONORAR.



---

WITTEBERGAE  
TYPIS DÜRRII CIOCCCLXXXVII.

DE CARA GAY RIS PABILICIA

TROSGA DEBRA REM

OESTERLICIA M

COMMUNICATIUS MEDICUS

ACTA VI

EASIDIA COMMUNICENS AD REM OESTERLIC

CIAW EMUNDANDAM EFFICACISSIMA

VACUO

CHRISTIANO AVADATO LANGATH

PHYSICI ET MEDICIN DOCT. THOMAS TATELL

ET SOCIIS. ANNO 1700. 24. SODV.

MONSIEUR

WITTEBERGAE

1700. DABRII CIVICIS CLXXXVII

PERILLVSTRI

GENEROSSISSIMO ATQVE EXCELLEN-  
TISSIMO DOMINO

F R I D E R I C O G O T T L O B  
A B E R L E P S C H

DYNASTAE IN HENNINGSLEBEN, LEISLAV CET.

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE  
A CONSILIIS SECRETIORIBVS  
ELLECTOR SAXON

PATRONO INDVLGENTISSIMO.

PERILLVSTRI  
AC  
GENEROSISSIMO DOMINO  
DOMINO  
CHRISTOPHORO GOTTL  
ABVRGSDORF  
SVMMI SENATVS SACRI DRESDENSIS PRAESIDI  
ET CUBICVLARIO PRIMI ORDINIS  
ELECTOR. SAXON.  
PATRONO INDVLGENTISSIMO.

# V I R I

**PERILLVSTRES GENEROSISSIMI  
EXCELLENTISSIMI  
PATRONI INDVLGENTISSIMI**

PERILLVSTRIS GENEROSIT  
EXCELLENTISSIMI  
PATRONI INDVLGENTISSIMI

**I**aederem profecto, quam *VOBIS* debeo, MAECENAS  
OPTIMI, pietatem atque obseruantiam, si ego  
solus ex tanta clientum multitudine, qui non tam *VOBIS*,  
quam litteris ipsis, et patriae uniuersae laeti gratulantur in-  
crements dignitatis et honores splendidissimos, a Patre pa-  
triae in *VOS* collatos, si, inquam, in tanta omnium ordinum  
congratulatione tacerem, nec hac opportunitate inuitatus ami-  
cum declararem, meritorum *VESTRORVM* magnitudine  
commotum, *VOBIS*que deditissimum.

Ac *TU* quidem, *VIR PERILLVSTRIS* et *EXCEL-*  
*LENTISSIME*, quem adhuc quidem litterae omnes fautorem  
ha-

*tabuere Juumum, ii vero, qui litteras traciant et docent, et iudicem studiorum suorum intelligentissimum, et indulgentissimum experti sunt fortunarum suarum arbitrum, suscepto nouo munere, tantum abest, ut eruptus videare litteris, ut nunc sub TVA tutela, malto felicius acquiescant, earumque cultores spem concipient maiorem.*

*De TE vero, VIR PERILLVSTRIS ac GENEROSIS SIME, cui religionis ac litterarum per has terras curam commendauit nuper Pater Patriae Serenissimus, eo magis optime sperant omnes, quo magis constat, quanto amore prosequaris litteras omnes, et eos, quos Patriae aliquando profuturos esse putas.*

*Permittatis igitur quaeſo, INDVLGENTIſſIMI DOMINI, ut ſub auspiciis nouorum munerum, a VOBIS ſuceptorum, ego quoque ſignificem, quantopere VOS colam ac tenerer, meque in patrocinium et clientelam VESTRAM ſucepte. Quod autem hunc libellum tenuem quidem illum, ſed de re grauifima scriptum, ad VOS mittere auiſus sum, in eo et in VOS, et in patriam pie facere mihi videor. Ad quem enim tot matres miserae, quarum ſalutem tum, cum patriae maxime proſunt, obnoxia eſt imperitis obſetricibus; ad quem tot ciues noui, in ipſo aditu ad vitam vehementer periclitantes, gemitus, querelas, obſecrationes denique ſuas potiſſimum conuertant, quam ad VOS, quos et velle ſuccurrere et poſſe bene ſciunt. Addite igitur reliquis VESTRIS in Rem publicam et litteras meritis*

meritis longe maximis hunc veluti cumulum, ut emendanda re  
obstetricia, saluti ac vitae tot ciuium, academiarum existima-  
tioni et flori, artibus denique ipsis liberaliter consulatis.

Ceterum Deum Optimum Maximum supplex veneror, ut  
vos religioni ac patriae quam diutissime conseruet.

## ILLVSTRIVM NOMINVM VESTRORVM

Wittebergae

CCCLXXXVIII.

additissimus Cllens

CHRISTIANVS AVGUSTVS LANGVTH.

S Y N O P S I S .

DE CVRA, QVA RES PVBLICA PROSEQVI DEBEAT  
REM OBSTETRICIAM.

- Seccio altera:* Subsidia proponens ad Rem Obstetriciam efficacissima. pag. 1.
- Subsecio prima:* de modo, quo sufficiens hominum copia ad studium et exercitium artis obstetriciae calendrum excitari atque allici posset. Obtinetur eiusmodi hominum copia sufficiens, quibus cordi est artem illam rite colere et dextere exercere, si
- 1) concurrit tot munera obstetricij fixis salariis aliquis emolumens dotata, quorū ambitus terrarum nostrarum et ciuium multitudine polstolare videtur, pag. 4.
  - 2) prudens semper habetur delectus ilitorum hominum, qui ad Institutionem in arte obstetricia admitti cupiunt, et eiusmodi munera ambunt, pag. 9.
- Subsecio secunda,* de iis rebus, quae ad studium artis obstetriciae promouendum aliquid conferunt :
- 1) adit igitur bene constituta domus, in quam recipientur grauidae atque parturientes et praecipua tradantur artis obstetriciae; quae vero eam ob causas
  - A) vt bene sita — pag. 10.
  - B) satis munita et ab incendiis periculis tuta — pag. 11.
  - C) satis amplia ac rite disposita sit, necesse est — pag. 12.
  - 2) huic domo praepositus sit Vir
  - A) et artis scientiae peritissimus — pag. 14.
  - B) et in exercitio ipso dexterissimus — pag. 14.
  - C) et ita locatus in munere suo, vt omne tempus omnemque operam soli impendere queat Instituto isti — pag. 15.
  - 3) Norma docendi adhibeatur apta, quae sit
  - A) clara et omnibus numeris absoluta — pag. 17.
  - B) dissentium rationibus accommodata — pag. 19.
  - C) minus sumtuosa — pag. 23.
  - 4) Mulieres semper habeat grauidas Institutum, quae partum suum edere in ipso cupiant
  - A) Hinc parcat Institutum nonsolum pueris ex illico amore grauidis, sed etiam aliis — pag. 24.
  - B) Nemo cogatur in Instituto partum edere — pag. 25.
  - C) Res Instituti tanta cura gerantur, vt omnibus placet — pag. 26.
  - D) Puellis grauidis prematur ad Institutum accessus interdicatur — pag. 29.
  - E) Omnes morbo aliquo contagioso infectae ab Instituto arceantur — pag. 29.
  - F) Quotannis accurate Instituti historia edatur — p. 29.
  - G) Instituto liceat primis annis cum deficiant grauidae, alias morbis afflitas mulieres recipere, pag. 29.
  - H) Proles matrum vel in Instituto defunctorum, vel ceter. in Instituto educantur, p. 30.
  - I) Nulla in Instituto defuncta mulier secerit in theatro anatomico, p. 30.
  - 5) Res Instituti optime gerantur et disponantur, Hinc
  - A) Personae in eo viventes victimum potunque habeant bonum et sufficientem, p. 30.
  - B) Apto et commodo instrumentum sit suppelleabile Institutum, pag. 34.
  - C) Apparatus sufficiens Medicaminum et Instrumentorum chirurgicorum proster, p. 35.
  - D) Sufficiens hominum sit numerus ad res Instituti rite peragendas, p. 36.
  - E) Negotia quotidiana certe quodam ordine perficiantur — p. 39.
  - F) Inspectio fida atque folers et subordinatio accurata sit, p. 40.

*Subsecio tercia.* De comparatione Apparatus Instrumentorum Obstetricibus et Chirurgis obstericantibus necessarii — p. 42.

*Subsecio quarta.* De Norma obstetricia — p. 44.

DE



## DE CVRA, QVA RES PVBLICA PROSEQVI DEBEAT REM OBSTETRICIAM.

Sect. II. Subsidia proponens ad rem obstetriciam emendandam  
efficacissima.

**D**isserens nuper de Cura, qua Republica prosequi debeat Rem Obstetriciam in prolusione, qua ad Orationem auspicalem Professionis Medicinae Extraordinariae publice recitandam inuitabam, NECESSITATEM REI OBSTETRICIAE EMENDANDAE ex tristissima ipsius, quam et apud nos, et apud exterros per plura deinceps secula habuit, et quae adhuc dum maxima ex parte obtinet, conditione ac forma ita, si quid video, demonstravi, ut neminem amplius fore, qui

A

istam



istam in dubium vocet, iure meritoque confidere possim. Quibus peractis a nobis remotum esse arbitramur, quod haec tenus forte obfuit, rei rei obstetriciae emendandae obstaculum, **IGNORANTIAM PUTO ISTIVS MALI**, in qua plerumque versantur ii, quibus potissimum data est vis atque potestas, eiusmodi calamitates a cuitatibus depellendi, Proceres nemper rerumque publicarum Principes. Mittamus igitur hoc in praesenti argumentum, et ad **ALTERVM** potius properemus tollendum impedimentum, quo adhuc retardari dicitur Rei Obstetriciae Emendatio, **IGNORANTIAM NIMIRVM REMEDIORVM**, quibus hoc vulnus sanari possit, **PRAESIDIA EXPOSITVRI**, AD REM OBSTETRICIAM EMENDANDAM EFFICACISSIMA. Ita enim vanam in posterum fore atque irritam speramus excusationem eorum, qui sese quidem paratisimos esse ad rei Obstetriciae Emendationem promouendam gloriantur, ignorare vero prorsus, quibus isti succurri possit malo remedia. Facillimum enim esse, aiunt, notare quaedam, quae institutis nonnullis publicis atque politicis adhaereant vicia, eaque publice reprehendere: inuenire vero, quomodo leuanda sint illa mala et commode tollenda, taliaque proferre consilia, quae vbique possint locum habere ac perfici, id esse arduum sane et praemio dignum opus.

Vtinam mihi contigisset, vt ex copia consiliorum a doctis artisque peritis viris iam ante me ad Emendationem Rei Obstetriciae efficiendam prolatorum, quae partim inertia adhuc tenebrisque suppressa iacent, partim in vsum passim vocata sunt, optima feligerem quaeque, et applicatu facillima tantummodo commendarem; vtinam mutationes, quas in iis faciendas putaui, et additamenta a me ipsis adiecta ita essent comparata, vt digna viderentur, quae et a medicis theoreticis plausu acciperentur, et a practicis ad vsum transferrentur. Sic quidem huius laboris in communem

munem utilitatem vnicē suscepti fructus me percepisse putarem longe iucundissimos.<sup>a)</sup>

Res Obstetricia, si eam, quam optamus ipsi, et qua nostris aequo probare se possit ciuibus, ac placere exteris, obtinere debeat formam, est mea saltem opinione instituenda fere ratione, quae sequitur.

I. Sufficiens; Copia hominum procuretur, qui liberali studio artem colant et dextere exercere discant, e quibus in posterum eligantur ii, qui muneribus obstetriciis fungi debeant.

II. In qualibet prouincia publicum condatur Institutum, in quo comoda satis parata sit facultas iis, qui in posterum artem exercere cupiant obstetriciam, rite dicendi omnia, quaecunque demum ad artis cognitionem et exercitium scitu digna cognitique necessaria habeantur.

III. Ex aerario publico emantur Instrumenta et reliqua ad obstetricandum necessaria supellex, gratis distribuantur inter viros et foeminas obstetricantes, ipsisque relicta maneant tanquam perpetuum inuentarium cuiuslibet urbis, pagiue ubi artem obstetriciam exeruerint.

IV. Norma praescribatur certa et satis definita, eaque Principis auctoritate confirmata, ad quam omnis geratur et administretur Res Obstetricia.

A 2

Sub-

<sup>a)</sup> Quam hic publice proponimus de Re Obstetricia emendanda Adumbrationem, eandem' ao. 1786. iam illud Curiae Electoratus nostri supremae delineatam dedimus idiomate germanico expressam, et nostro circulo nostraque urbi aptam. In omnibus igitur haecce priori prorsus similis est, modo in eo differt,



### Subsectio Prima.

*De modo, quo sufficiens hominum copia ad studium et exercitium artis obstetriciae colendum excitari atque allici possit.*

Quamdiu hominum adhuc destituimur multitudine, qui artem obstetriciam addiscere cupiant, et exercere valeant; tamdiu fractus erit aemulationis stimulus apud viros et foeminas obstetricantes, omnis cupiditas extincta quasi erit atque deleta sese ipsos inuicem superandi dexteritate atque solertia in artis studio et exercitio adhibenda; tamdiu voluntas et potestas nostra imperitos cum peritoribus commutandi arctissimis circumscripta manebit limitibus; tamdiu plures regiones carebunt obstetricibus arte peritis riteque exercitatis. Si igitur obtinere voluerimus copiam hominum studium artis obstetriciae amantium et artis peritorum

1) condenda sunt tot munera obstetricia fixis salariis aliisque emolumentis dotata, quot ambitus terrarum nostrarum et ciuium multitudine postulare videtur. <sup>b)</sup>

In qualibet igitur vrbe- vico- pagoue, nullo excepto, una saltem bene instituta et explorata Obstetrix constituatur; — In omnibus vero viribus minoribus pariter ac maioribus vnu saltem in arte chirurgica et obstetricia versatus Chirurgus <sup>c)</sup>; ne parturientes locis habitantes ab oppidis

maio-

seit, vt quae ad exteriores nil attineant, reiecerim, et quae litterariam notitiam concernunt, subiunxerim.

b) Quemadmodum in terris Moguntinis factum, et Edicto d. 15 Febr. 1785. promulgato constitutum fuit. vid. Goecking. Diar. de rebus in Germania gestis Ann. II. 1785. Partic. XI. p. 440.

c) Vti in terris Russicis: videatur Samoilowitz Memoires sur la peste — et Austriae secundum Edict. Vindobonae d. 29 April. 1785 euulgatum. vid. Scherf Archiv. Vol. IV. p. 142 et 160.

maioribus nimis remotis, cum partus praeternaturalis vel naturali difficultatem atque operosior incidat, omni prorsus destituantur auxiliatrice manu et vitae periculum incurant praesentissimum.

Praemia vero et emolumenta hisce hominibus concedenda videntur fere haec esse:

A) Quilibet Chirurgus et quaevis Obstetrix fixum quoddam annuum accipiat, quod vero respectu obstetricum aequale sit ubique necesse est. In urbibus enim minoribus, viciis, pagisue puerperia non solum per se rariora, sed etiam ita plerumque comparata esse solent, ut inde parum lucri atque emolumenti enascatur obstetricantibus. Eo enim ipsarum conditio eatenus saltem emendaretur, ne vnde viuant, anxie quaerere deberent. Cum enim quae ad vitam transfigendam necessaria sunt manu sibi comparare, adeoque studium artis obstetriciae continuatum plane negligere atque seponere coguntur, facile manus ipsarum per se iamiam parum agiles et ad acrioris sensus aciem obtusae duris et rusticaniis laboribus quotidie peragendis occalescunt prorsus et ad illud negotium ineptae fiunt. Proposito praemio maior etiam in ipsis accendetur cupiditas rite discendi artem, et plus temporis conceditur, quo omnia, quae institutione percepérunt, repetere, in memoriam reuocare, et iteratis meditationibus artem ipsam in dies magis magisque excolare queant. Opus tamen non est, tam largo lautoque, quod omnibus horum hominum sufficiat necessitatibus, modo tale sit, quod respondeat eorum votis, vitaque rationi conueniat, adeoque ipsis bonum videatur optabile, quo allicitur ad munera grauissima illa, et tot tantisque stipata molestiis lubenter suscipienda. Sufficeret igitur, si Chirurgo obstetricanti Viginti et culibet Obstetrici Decem Imperiales tanquam annum stipendum proponerentur. „Etenim sine his noua liberalitate constitutis praemiis vix reperiri pot-



„erunt, qui munera illa, iam propter institutionis cursum emetiendum  
„alioque insuper imposita officia longe molestiora, quam olim erant, am-  
„bire cupiant.“ —

B) Praeter illud fixum quotannis praebendum stipendium varia alia  
ipsiis concedenda sunt beneficia, emolumenta atque priuilegia; nimisrum

α) Obstetricibus v. c. remissio vestigialium quorundam; — Definita  
quaedam lignorum copia; — Ius, quo senectute confectae vel morbis  
inhabiles factae ad munus, quod gerunt, rite administrandum, prae aliis  
in Ptochodochia publica recipientur, vel vbi haec deficiant, ex aerario  
pauperum alantur atque sustententur; — Ius eos, qui mercedem pro of-  
ficiis inter puerperium praestitis, ipsis destinatam, vel recusant, vel nimis  
diu debent, accusandi, eamque vi judiciali exigendi. Quod vero ius lo-  
cum habere nequit, nisi antea rite definita fuerit mercedis summa, et lex  
constituta, ad quam omnia exigere queant. Videtur autem nobis haec  
ita fere definita, vt Mercenarius ipsis Sex-Manso integrae Hubae duo.  
decim grossos — Ciuis l. Oppidanus inferioris classis Vnum Imperiale  
et octo grossos — Ciuis altioris classis Nummum aureum, Ducatum di-  
ctum — Nobilis denique Ludouicum aureum, pendere teneatur.

Pro his autem emolumentis sequentia ipsis imponantur officia: Pri-  
mis octo puerperii diebus bis quotidie puerperas visitent, Altera vero se-  
ptimana quotidie semel — vbi Medicus nullus praesto est, Chirурgo pro-  
ximo nuntiari iubent puerperium peractum, cumque certiores faciant,  
vtrum beneualeat puerpera, nec ne? — Simulac senserint, puerperium  
instare praeter naturale, vel ob situm infantis peruersum, vel ob alias cau-  
fas, exemplo; h. e. non expectato consensu vel votis puerperae eiusque  
mariti alienum sibi expetant auxilium; — cum puerpera inter parien-  
dum defungitur, vel foetus cum partibus et membris superfluis, mancis,  
mutila.

mutilatis, praeternaturaliter clausis aut monstrosis in lucem prodit, statim nuntiet Chirurgo in proxima vrbe constituto, eumque in auxilium vocet — in nuptiis et baptismorum epulis Honorarium Chirurgo destinatum colligat, ipsique tradat — pauperibus et plane egenis gratis opem ferat. — Ut sumtibus quantum fieri possit parcatur, Chirurgi isti per pueros aduocandi sunt: Cuius autem pago antea indicandum foret, quemnam potissimum Chirurgum necessitate vrgente adire debeat.

B) Chirurgis obstetricantibus vrbi, praeter illud fixum annum flipendium tanquam praemia laborum proponantur haec: — Reditus quidam e causis forensibus — Sportulae ex nuptiis et baptismorum epulis solennibus: (v. c. in eiusmodi epulis rusticani quilibet coniuua duos viii ciues in oppidis inferioris classis quatuor — et altioris conditionis sex vel octo grossos soluant —) Honorarium pro partu quoquis iporum arte atque opera in lucem edito; (hoc vero ita fere esset definiendum, ut mercatores aliue dignitatis, quodam gradu distincti personae ipsi solvere teneantur pro tali opera matre salua et infante elapsis quatuordecim diebus post puerperium adhuc superflite, Quinque Imperiales, matre vero vel infante mortuo, Vnum Ducatum tantum; Nobiles sub iisdem conditionibus Decem Imperiales; Aerarium Instituti autem quoties in egenis eiusmodi partum perfecerit saluis vtrisque Duas Imperiales, alterntro vero tantum superflite, Vnum;) Nec minus ipsis concedendum esset Ius tonsirinarum habendarum, hac vero lege, vt hae solummodo a chirurgis tironibus atque discipulis administrarentur, ne ipse istis negotiis distractus Magister, negligeret negotium longe grauius.

Officia vero ipsis imposita haec circiter essent: — Gratis auxilium praestare prorsus egenis deberent, non solum in puerperiis subeundis, sed etiam in aliis morbis chirurgicis medendis — Puerperas omnes in locis, qui



qui Medico carent, quotidie inuisere, ut consulant vel ipsis, vel quibus fortasse recens natus laboret vitiis, mature medeantur — Nutrices conduceendas inquirere, explorare, et morbo infectas contagiose repellere; sanas vero testimonio instruere in quo puerperii transacti tempus notatum legatur — Obstetricibus inuigilare, negligenter vero Physicis indicare — Cadauera inspicere ne quis prius quam signa putredinis in eo obseruata fuerint, vel clam et violenta vi peremtus, humetur<sup>d)</sup>) — puerperas inter pariendum haud excluso foetu defunctas, vel ex laesioribus ab osletrice duriter et imprudenter agente inflictis mortuas extemplo secare — indices annuos natorum, denatorum et nuptiis initis coniunctionorum ad normam schematis in Pylii promtuario praescripti et Vol. I. pag. 731. annexi confidere, eosque Physicis iusto tradere tempore — in apparenter mortuis omnia adhibere quaecunque valeant ad suscitandos ipsos remedia — iis, qui morbis corripiuntur violentis, subitaneis vietaeque periculo plenis, v. c. haemorrhagiis, apoplexiis, animi deliquiis, conuulsionibus, suffocationibus, vel veneno ingesto afflictis praestet esse, ipsisque donec medicus in auxilium veniat, opem ferre<sup>e)</sup>) — Exactum habere diarium aegrotantium curae ipsorum commissorum, in quo consignata reperiantur nomina aegrotorum, aetas, morbi indoles atque duratio, medicamenta adhibita, exitis tandem morbi, quod Physicus necesse est tollere ambulatores aliqui suorum seū (missus) confundat.

<sup>d)</sup> ad exemplar Edicti Caesareo — Regii Vindobonae d. 21 Febr. 1784 promulgati de Inspectione cadauerum praeipientis. vid. Pylii Promtuar. Vol. I. Scid. II. p. 312.

<sup>e)</sup> Quapropter ipsis quoque concedendum erit, nonnulla interna in Pharmacopeis domesticis asseruare medicamenta. v. c. Tart. emet. — Salia media — Liq. anod. mineral. Hofm. — Liq. corn. ceru. Succ. — Spirit. Vitriol. — Pulu. Lalapp. — Cort. peruu. — vid. Scherf. V. 277.

cessitate ita ferente inspicere possit — in sectionibus forensibus medico Physico assistere — In vniuersum de omnibus rebus, quae alicuius momenti sint, et in circulo ipsorum accident, ut morbis contagiosis, variolis, morbillis, dysenteriis, febribus epidemice grassantibus etc. mature ad Physicum referre, eiusque expectare iudicia atque consilia sequi.

Quodsi vero optamius, ut munera illa obstetricia subsequentibus temporibus semper ab hominibus administrantur artis peritis atque expertis, opus est

2) vt prudens semper habeatur delectus et strenua instituantur exploratio hominum, qui eiusmodi munera ambiunt, et ad institutionem in arte obstetricia admitti cupiunt:

*Primo* igitur Physicis committendum negotium, mulieres conquiriendi dotibus illis instructas, quas vt habeant obstetrics Norma obstetricia Wetzlariensis pag. 39. §. 41. postulat. — Sint nimurum piae, modestae, pacis amantes, bona famae, docilis ingenii, memoria facilis, atque ingenio praeditae, religiosae, laboriosae, solertes, sobriae, castae, taciturnae, animo leui, tranquillo, atque mansueto, corpore sano, viribusque pollentes, sensibus illaesis, manibus non nimis crassae atque osfuosae, sed potius flexiles, volubiles et molles, quae ipsae foetus utero gesserunt, aluerunt et educarunt et ad labores obstetricios suscipiendos propensae sint, ultraque se offerant. Et tales tantum foeminas mittere debent Physici ad Institutum. Hinc vero etiam non nisi Physicis ius tribuendum est Obstetrics eligendi et commendandi, nec non definiendi vrbes pagosue, in quibus, quam primum fieri possit, obstetrics bene instituae sint consituendae, cum omnibus simul meliores dari nequeant.

*Deinde* obstetrics omnes explorentur atque examinentur sine ullo partium studio et praesentibus uno pluribusue Assessoribus Facultatis me-



dicae, earumque dexteritas atque scientia testimonio ornetur sigillo facultatis confirmato.

Tum vero Chirurgi obstetricantes in urbibus minoribus et pagis constituentur, speciminis loco habeant publice in Theatro anatomico, duas praelectiones atque demonstrationes Anatomicas, duas Chirurgicas et duas ex arte obstetricia petitas, quibus artis peritiam doctrinamque copiam proferant in lucem, eiusque audientibus fidem faciant.

### Subsectio Secunda.

*De iis rebus, quae ad studium artis obstetriciae promouendum asiquid conferunt.*

Nunc igitur verba faciamus de institutis erudiendorum in arte obstetricia tironum gratia condendis. Quae si ita comparata esse debent, ut omnium, qui harum rerum cognitionem habeant, ferant applausum votisque respondeant, curandum est.

1) vt domus adsit bene constituta, in quam et recipiantur grauidae atque parturientes, et praecpta tradantur artis obstetriciae;

2) huic praepositus sit Vir et artis scientiae peritissimus et in exercitio ipso dexterissimus, qui Professoris et Directoris Instituti munere fungatur;

3) Norma docendi adhibeatur apta;

4) Grauidae ne vngquam deficiant;

5) Omnia ordine procedant in Instituto, nec non hominum in illo viuentium vel munere aliquo fungentium exquisitissima habeantur cura.

#### I. De Domo parturientium s. Obstetricia.

Eiusmodi domus praecipuae dotes hae circiter sunt,

A, vt bene sita —

B, fa-



B, satis munita et ab incendiorum periculis tuta —  
C, satis ampla ac rite disposita sit.

A. Situm igitur, quod attinet, curandum est

a) vt in regione exstruatur salubri, quae coeli plagam habeat serenam atque liberam: Hinc nec in locos oscuros, altis muris vel vallibus munitis que vrbi clausos abdatur — nec solo aedificetur humido — nec alia inter domicilia collocetur in plateis angustis, vbi aer Noso-comii variis inquinatus halitibus, et grauidarum, parturientium, ibidemque decumbentium aegrotorum pestiferis exhalationibus grauis atque onustus, nec ventorum dissipari flatu, nec alia renouari ratione possit.

b) Nec condatur domus ista locis tumultuosis et scolorum hominum curiositati expositus, ne forte grauidae atque parturientes rebus percellantur terrorem incutientibus vehementem et subitaneum. Quapropter etiam insuper aditus totius domus, vt militum stationariorum custodie traderetur, suaderem.

c) Cubicula puerarum, quantum fieri licet, omnia orientem spectent solem, h. e. purissimam coeli amoenissimamque regionem, saltem ne meridiem versus sita sint, caueatur, nec humo proxime incumbant. — Prius enim multas aestatis tempore propter nimium solis aestum atque feruorem pueris crearet molestias, vt posterius varias sanitatis ipsorum ob vapidum humidumque aerem quotidie hauriendum strueret insidias, grauissimasque pareret noxas.

B. Immunitas ab incendiorum periculis praestatur eo, si tota quanta est, lapidibus exstruitur solidis — muro cingitur proprio, eoque quasi concluditur — conductore praeterea munitur electrico — et vasis incendiariis vna cum reliquo apparatu copiose instruitur — tunc eam neque



incendiis vicinorum aedificiorum obortis, neque tactu fulminis ielique  
villas facile passuram esse noxas, certissime persuasi sumus.

C. Amplitudinem denique, internamque domus dispositionem,  
quod spectat, cura imprimis eo dirigenda, ut copia cubiculorum instru-  
cta sit, ista domus, quorum alia assignentur grauidis; alia puerperis;  
aliud parturientibus, maioris paulo anibitus, illud quidem et inter puer-  
perarum cubicula in medio quasi positum, (ne scilicet recentes puerpe-  
rae viribus fractae et exantlatis partus laboribus debilitatae vel longius por-  
tando afficiantur grauiter, vel aeris afflatu liberioris laedantur;) alia  
peregrinis, honestioribus grauidis, quae propriis sustentatae sumtibus  
clanculum h. e. omnibus insciis et ignorantibus partum eniti suum in In-  
stituto cupiant.<sup>f)</sup> Requiritur aliud destinatum Famulo Professoris et in  
vicinia Laboratorii chemici sitem; aliud Obstetrici ordinariae domus;  
aliud Foeminiis obstetricantibus peregrinis, institutionis gratia hic loci  
coimmorantibus; aliud Ianitori domus; aliud vnam adiacente camerâ  
Oeconomio Instituti, vt in eo habitet, ei etiam praeterea tradenda est cu-  
linâ, cella penaria, cella subterranea, atque loca idonea ostendenda,  
vbi ligna reponi, linteac ac vestes purgari, machina terendis linteis apta  
collocari possint; cubiculum, quo ancilla ipsius habitet et tabulatum  
cum linteis siccandis tum seruandis frumentis aptum atque idoneum; duo  
cubicula ad terram sita infantibus destinantur vel obitu matrum ibidem  
defunctorum, vel alia quacunque diem ratione Instituti curae atque tu-  
telae relictis recipiendis, alendis atque educandis.

In

<sup>f)</sup> In Nosocomio Vindobonensi maximo nouissimeque constituto duodecim cu-  
bicula omnibus instructa rebus, quae partim ad necessitatem pertinent, par-  
tim ad commoditatem, semper parata seruantur eiusmodi grauidis. vid. Scherf,  
Archiv. medic. forens. Vol. V. p. 164.

In altera deinde contignatione domus, domicilium constituantur Professoris, quod ut satis amplum sit, decorum atque commodum, aequitatis est; auditorium; cubiculum singulare electricum si vis vocandum ad experimenta cum aegrotis instituenda idoneum; tandem appendicis quasi loco huic aedificio adiificantur laboratorium chemicum, quo ciuius atque sincerius necessaria medicamenta in ipso parari queant Instituto: diaeta balneatoria, omnibus balnearum generibus applicandis apta; et taberna cadaueribus seruandis dicata; Hortis insuper instructa sit vicinis domus ista, et area magna atque libera, hortis autem partim ut oleribus variis in commodum et necessitates Instituti ipsius colendis inseruant, partim deambulationi grauidarum atque conualecentium; area vero lata ac spatiola ut locus pateat, in quo stragulae siccentur et linteamina, solisque radiis exponantur, opportunus.

In primis vero in aedificanda domo ista, ratio habenda est latrarium, ne vel nimis remotae ab villa domus parte, vel ita collocatae reperiantur, ut totum odore tetro et graueolente replete aedificium et mephiticis istis halitibus noxas pariant sanitati mulierum pestiferas atque pernicioseas. Cubicula grauidarum et praecipue puerarum iustam habeant, ratione scilicet numero lectulorum habita, altitudinem atque amplitudinem. Si igitur v. c. secundum eam, quam paulo infra delineabimus sciagraphiam quatuor tantum lectuli in quolibet sternantur cubiculo, sufficiat, cum altitudinem sex, longitudinem decem et latitudinem septem cubitorum obtineant cubicula.<sup>s)</sup> In vniuersum vero, ne plus qua-

B 3

tuor

g) Tabulae in fine dissertationis adiectae, quarum altera formam eiusmodi domus latius patentis exhibet, altera paululum minoris circuitus, mentem nostram lectori vterius declarabunt.



tror in uno simul decumbant cubiculo puerperae cauendum, ne prauo isto,  
qui plerumque ambit eiusmodi mulierculas, foetore nimium repleatur et  
corrumptatur cubiculi aura. Praeterea vero omnia ut efficacissimis in-  
struantur ventilatoribus cubicula maximopere curandum. Fortasse eius-  
modi possent adhiberi spiracula, qualia in nouo, quod Petropoli est, re-  
periuntur Hospitio, aequem magnifice illo ac fini congruenter extrecto.  
In eo enim omnes fenestrae usque ad tegmina pertinent, et muri interia-  
centes sibique oppositi ita perforati sunt super ianuas sibi inuicem respon-  
dentes, ut aeris flumen perpetuum plura simul per interiacentes muros  
disiuncta cubicula super aegrotorum permeare lectulos, halitus noxios  
vapidos atque pestiferos secum auferre, contra vero purum sincerum;  
que aerem aduehERE queat.<sup>b)</sup>

## 2) De Directore et Professore Instituti.

In constituendo Professore huius Instituti atque Directore, eiusque  
delectu faciendo duo potissimum sequenda:

A) Videndum, num is, cui munus tam graue demandetur, dotibus  
instructus sit atque exornatus necessariis?

B) Curandum, ut ita locetur in munere suo, ut omne tempus, omnem  
que operam soli impendere queat Instituto.

A) Facultates praecipuae, quae requiruntur in eo, qui Professoris et  
Directoris prouinciam in se suscipere cupit, haec circiter sunt:

a) primo artis obstetriciae doctrina atque praeceps bene sit imbutus  
atque eruditus,

b) de-

b) vid. Cl. Rudolphi narratio de Institutis quae Petropoli nouissime condita sunt,  
medicis, quam nobiscum Il. Baldinger in Diar. Med. Part. communicauit.

b) deinde manuum admotione excellat et in adiuandis parturientibus rite versatus sit atque exercitatus.

c) tum vero methodum proponendi facilem habeat atque perspicuam.

d) denique mansueto sit animo, et ad tolerandas omnis generis molestias parato.

Omnis autem illas, quas hic commemorauimus, habere virtutes eum, qui certis fideque dignis non solum probauerit testimonij, se per aliquod tempus in eiusmodi Instituto versatum esse atque cominoratum, omnem arti obstetriciae addiscendae et excendae nauasse ibidem operam, sed ipse etiam in praxi obstetricia dexteritatis suae iamiam edidit documenta, adeoque sibi famae quandam in hac arte comparauerit celebritatem atque gloriam, iure meritoque existimare nos posse arbitramur.

B) Collocatur, vero ita, ut temporis maximam partem, omnemque operam soli impendere Instituto, adeoque ipsi ratione, quam fieri potest, utilissima praecesse possit, si

a) tali exornetur stipendio, de quo et pro urbis in qua vivit moribus, et pro muneris, quod gerit, dignitate, honeste atque decenter viuire queat. Alias enim vel scribendo, vel docendo, vel praxin medicam exercendo sibi suisque victum querere coactus facile aliis negotiis distractus princeps negliget negotium, saltem parum de commodis Instituti veterius promouendis sollicitus erit. Contra vero, tanto auctus stipendio, ut aliunde quaestum querere ipsi non opus sit, insuper officio adstringi poterit, medicis chirurgisque tironibus artis obstetriciae non solum elementa gratis tradendi, sed ceterarum etiam chirurgiae partium principia, una cum artificio, in quo perspicue docetur quid agendum sit chirurgis in casibus repentinis et vitae periculum minitantibus, v. c. Haemorrhagiis, Insultibus apoplecticis, Suffocationibus, Animi deliquiis, Convulsio-

nibus,



nibus, Venceno affectis, Aqua submersis, Gelu confectis, Carbontum vaporibus, Laqueo aliae ratione suffocatis, donec medicus arcessi et in sub-sidium vocari queat.

b) Dominicilium in ipso habeat Instituto <sup>i)</sup>; Eo enim efficitur, ut vbi-que praeiens esse, cubicula quotidie aliquoties inuisere, parturientibus, quae nocturno plerumque tempore laborare solent, sine omni molestia et sanitatis dispendio adesse, nec non puerperis grauidisque aegrotis in casibus improvisis et subitaneis praeferentissimum possit praestare auxilium.

c) Ipsi soli Inspectio committatur atque gubernatio Instituti; simulque normam accipiat claram definiteque perscriptam, ad quam omnia di-rigere teneatur; Regendi enim provincia inter plures divisa facile calu-mniarum iniuriis exponitur, variis rixarum turbis implicatur, omnino-que impeditur, quo minus emendationes Instituto fortasse necessariae at-que perutiles, nec aerario molestiae sine omni mora et ambagibus suscipi atque perfici queant. Quis enim quaeso melius de eo, quod utile sit, In-stituto, et quod ipsius promoueat commoda, iudicare potest, quam is, qui ei praefectus est? cui magis curae cordique erit, ut floreat Institu-tum et quandam adipiscetur celebritatem, nisi eidem illi, qui praefest, et cui pars istius honoris atque gloriae iure meritoque tribuitur. Hic enim locum habet, quod iam dudum in proverbiu[m] abiit, multis imperanti-bus, nil bene geritur.<sup>k)</sup>

d) Ve-

i) Idem factum esse in Hospitio Vindobonense maximo nouissime constituto legimus. Totam enim partem domus, quae ad dextram manu sita est, inha-bitant Medici - Chirurgi - et Oeonomi huius Instituti. vid. Scherf, loc. cit., Vol. V. pag. 149.

k) Largam desuper hac re ulterius cogitandi materiem praebet der teutsche Mercur de ao. 1782. p. 285.

d) Veniam denique nanciscatur, omnia quaecunque demum memoratu digna acciderint et in Instituto peracta fuerint, ex ipsius diariis decerpendi, literis consignandi, et in Diario vel proprio vel alio eiusmodi libello publice quotannis promulgandi. Hoc enim et commendationi ipsius Instituti, et incremento totius artis medicæ, et honori Professoris ipsius profuturum esse, quis est, qui neget? Nil enim magis virum bonum atque honestum munit contra calumniantium iniurias, inuidiaeque tela, quam venia omnia publice agendi; nil ipsum magis inflammat ad industriam quam eadem illa venia, nil magis incitat ad laudabiles quantumvis arduas periculoque plenas res audendas et gerendas, quam honoris gloriaeque studium, quo optimus quisque maxime ducitur.

### 3) De Institutionis Norma.

Haec primo sit clara, perspicua, omnibus numeris absoluta, et quantum fieri possit, omnia subiiciat quasi oculis ipsiis —

*Deinde* variis discentium dotibus eorumque rationibus congrua et accommodata —

*Postremo* minus sumtuosa, nec cum multis impensis coniuncta.

A. Perspicua, plena et quasi intuitiva redditur institutio, si

a) magistratibus cuiusuis urbis, circuli atque prouinciae imponitur officium, muliebria cadauera omnia, quaecunque demum intra distan-  
tiam milliarium quinque violenta morte peremta inueniantur, Instituto,  
pro definita quadam pecuniae summa ex aerario ipsius soluenda traden-  
di et sineulla temporis mora ullisque ambagibus transmittendi, vt Pro-  
fessor in iis sectionem administret anatomicam, Obstetricibus atque Chi-  
rurgis fabricam corporis muliebris exponat, partus organa demonstret,  
adeoque ipsis partes illas cognitas reddat, in quibus et foetus per nouem



menses conclusus geritur, et quarum ope excluditur ipseque partus vnicē absoluitur.

b) Praeparata emantur anatomica, ad institutionem apte elaborata  
benieque composita; (vnum tantummodo huius generis ut afferamus exemplum;  
cum v. c. ad normam Regii Edicti Borussici a. 1755. promulgati Generali praeciperetur Edicto, ut omnes monstrosi in lucem editi foetus,  
simul ac perierint, Physicis medicis eiusdem prouinciae traderentur,  
a quibus dein ad Institutum transmitterentur.)

c) si machina artificialis (Phantom) comparetur bene constructa,  
et naturae, quantum fieri potest, aemula, in qua discant obstetrics et partus  
naturalis decursum, et varios foetus situs, et omnia peragere, quae  
ad artem obstetriciam exercendam necessaria sunt, habenturque negotia.  
Eiusmodi enim machinae, quantumvis fallaces, et naturae simulacra  
modo dicendae, tantum abest, ut omni plane desituantur utilitate atque  
efficacia ad instituendas mulieres istas plane rudes nec ullis assuetas meditationibus,  
ut eo melius respondeant votis, finique satisfaciant proposito,  
quo magis in sensu cadunt exteros, et omnia fere, quae peraguntur  
ipsis oculis expōnant cernenda.

d) Si cauetur ne iusto maior admittatur obstetricum numerus ad  
vnum institutionis cursum; alias enim sibi ipsa copia molestiae prohiben-  
tur, quo minus obuenientibus partibus cum fructu interesse queant. Hinc,  
me quidem iudice, in Instituto tali, in quo octo ad summum grauidae  
simil recipiuntur, et aluntur puerperae, obstetrics quatuor sexue simul  
praesentes sufficiunt. Scimus enim in eo, quod Ienae floret, in quo per  
annum integrum octo grauidae, per quinque cubicula distributae susten-  
tentur, quinquaginta circiter partus quotannis excludi, quibus aequaliter  
per menses distributis quatuor circiter partus in quemlibet cadunt men-  
sem.

tem. Si igitur quatuor tantum modo obstetrics quovis admittuntur mensa, vnum saltem quelibet ipsa absoluendum obtinebit partum, reliquis vero spectandi et adiuuandi causa interessere poterit, quod vero fieri nequit, si pluribus uno eodemque tempore obrutum est Institutum obstetricibus.<sup>1)</sup> Accedit hoc, Medicos et Chirurgos tirones istius Instituti simul participes fieri, illudque frequentare debere. His vero omnibus partu aliquo incidente praesentibus apertum est, tantam esse futuram discentium et spectantium multitudinem, ut congregati totum sint repleturi parturientium cubiculum, ex quo et parturientibus multum molestiae et spectantibus ipsis atque discipulis parum emolumenti prouenturum esse persuasi sumus. Hinc melius consultum iri commodis discentium credimus, si quilibet institutionis cursus vnum tantummodo mensem duret, is vero decies per annum denuo repetatur, et quatuor ad quemlibet audiendum mittantur ex agro obstetrics: hac ratione solus Circulus Eleitoralis decurrente anno quadraginta acciperet obstetrics beneformatas atque institutas. Sic vero satis praestitum esse ab eiusmodi Instituto per anni tempus, iure contendi posse existimo. Numerum vero Medicorum et Chirurgorum tironum definire, qui in dies admittendi sint, res est solius Professoris eiusque arbitrio atque iudicio vnice relinquendum; me autem suofore duo istis menses per annum Iulius nempe et Augustus, in quibus nulae ex agro obstetrics ob rationes paullo inferius commemorandas ad Institutum vocentur, essent concedendi ad exercitium artis ibidem excolendum.

B. Variis vero discentium dotibus congrua fit institutio eorumque rationibus bene accommodata, si Obstetricibus seorsim et Medicis tironi-

<sup>1)</sup> In Seminario Tigurino quoque quatuor tantum admittuntur Obstetrics ad vnum institutionis cursum. vid. Scherf. l. c. p. 237.



bus atque Chirurgis iterum seorsim proponitur: — Ea enim, quae Obstetricibus impertitur doctrina, ita debet esse comparata, ut ingenii viribus respondeat, ipsarumque rationibus conueniat. Quodsi obtainere cupimus

a) *primum* omnium id spectandum, ut anni tempore fiat, quo ipsis parum sit cum rebus domesticis negotii. Suaderem igitur ut missis tempore, mensibus nimirum Iulio et Augusto, omni vacarent institutionis disciplina obstetrics.

b) *deinde*, ut breui absoluatur tempore, ne domo nimis diu absentes grauissima rerum suarum patientur damna. Si enim omnia ea, quam haec tenus exposuimus, ratione perficiuntur, uno saltē mense institutionis cursus bene riteque poterit absolui; <sup>m)</sup>

c) tum vero, ne nimis prolixa sit, caendum; Hinc nec theoriae subtilioris dogmatibus spinisque referta, quippe intelligentiae vim mulierum facile excedentibus longeque superantibus; nec ad doctrinam partuum artificialium usque extensa; cum et humilis ipsisarum conditio, ex qua plerumque ducuntur et nimis sero addita doctrina, et plane deficiens vis intelligendi, discernendique facultas, et corporis moles eiusque partim innata, partim senectute oborta, partim laboribus grauissimis contracta durities, asperitas atque tarditas; et digitorum callus et vitae genus animum non minus quam corpus obtundens, et in dies magis magisque hebetans, ipsis plane reddat ineptas ad eiusmodi partus rite diiudicandos,

<sup>m)</sup> Cassellis quidem sex durat hebdomades, (v. norm. medicinal. Hass. p. 421.) et in eo, quod Ebroduni (Yverdon) est, Instituto, duos integros adeo menses commorari debent obstetrics, sed intra illud temporis spatium unum eundemque institutionis cursum quater repetitum audiunt, adeoque ipse cursus intra quatuordecim tantum dies absolvitur.

dos, suscipiendo feliciterque absoluendos. Quibus commoti rationibus  
 neutquam dubitamus experientia quoque duce contendere, partus artifi-  
 ciales, qui eiusmodi mulieribus absoluendi committantur raro vel nun-  
 quam bono cum successu euenturos esse. Insuper nec defunt testimonia  
 virorum artis peritissimorum auctoritateque insignium, quibus nostrum  
 corroborare possumus iudicium. Nam „*vidi frequenter*,“ inquit H. Fran-  
 kius, „*Obstetrics ita institutas, quae, partu per breve tempus retarda-  
 to, vel ex levissima causa moram ducente, extemplo foetus tentabant ver-  
 sionem, semper vero infantem protrahebant mortuum, cum aliae contra  
 rudiores et indoliores viribus naturae fretae partus obtinerent viuos be-  
 neque vigentes,*“<sup>n)</sup> Et Steinins summus inter Germanos obstetricans vir,  
 et facile princeps dicendus, eandem hac de re fouet sententiam.<sup>o)</sup> Nec  
 plane mirum videbitur hoc, quod diximus, illi, qui nostras Obstetrics  
 rusticas, quae ut cum Ouidio loquamur, nil nisi rudis indigestaque mo-  
 les, dicendae et cum his animo comparet negotii, quod discere debent  
 subtilitatem atque grauitatem. Enim vero, quod interdum accidit, si  
 vna alteraue inueniatur mulier, quae tantis fese exornatam sentiat a na-  
 tura dotibus, ut plus sapere reliquis, et, vel proprio impulsa discendi  
 simulo, vel magistratu loci suadente partuum difficultum et artificialium  
 doctrinam noscere cupiat, nos quidem, illa ut institutator priuatim alio  
 opportuno tempore, suaderemus. In terris Hassiacis eiusmodi obstetrics  
 ad primam referuntur classem, differiminis gratia a reliquis, appellantur  
 foeminae obsletricantes (Geburtshelferinnen) testimonium accipiunt ho-  
 norificentius, maiusque stipendum: Reliquae vero omnes ad alteram  
 pertinent classem et vocantur simpliciter Obstetrics.<sup>p)</sup> (Hebammen.)

C 3

Neque

n) Cel. Franke in *Politia medica*. o) Steinins III. in *praeſat. Catechism.*  
 art. obſteſtr. p) *Norma medicinal. Hass.* p. 431.



Neque vero minus, si institutio perspicua satisque plana esse, et breui  
absoluti tempore debeat, necesse est, vt tale compendium eligatur, in quo  
summa tantum doctrinae capita, primae artis regulae et artificia stylo  
reperiantur proposito populari et captui mulierum accommodato. Suffi-  
ceret igitur libellus, qui rite diserteque exponeret capita fere, quae se-  
quuntur; primo de symptomatibus grauidis plerunque molestis, eorum  
que medela per diaetetica lenissimaque remedia exponeret; partium geni-  
talium, in quibus et per quas naturae ope perficitur partus atque excludi-  
tur, fabricam doceret atque indolem; naturalia recenseret et praeternat-  
uralia symptomata intra et post partum plerunque exserentia fere, nota-  
tis in primis iis, quibus animaduersis alienum vt sibi quaerant auxilium ob-  
stetrics necesse habent; curam recentis nati infantis; morbosa primae in-  
fantiae symptomata; requisita bonaे nutricis; casus denique forenses in  
quibus obstetrics plurimum adhiberi solent, perspicue traderet. Hinc,  
nisi optaretur, vt, ne nimii sumptus fierent, peculiare extaret compen-  
dium, a Professore Instituti in usum ipsius concinnandum, *Weissenbornii*  
Introductionem in artem obstetriciam, in usum obstetricum Circuli Er-  
furtensis conscriptam commendaremus, qua cum fructu vti posse magi-  
strum eius artis ad eiusmodi preelectiones habendas quis est, qui dubitet?  
Physicis circulorum autem praeterea curandum incumbet, vt omnes ob-  
stetrics uno alteroue die ante calendas mensis cuiuslibet hic loci conue-  
nirent, ne seniori ipsarum aduentu vel institutionis cursus retardaretur,  
vel ipsae carerent preelectionum initiosis.

Quae vero Medicis et Chirurgis tironibus traditur artis doctrina, ea  
longe perfectior sit, et quantum fieri potest, absoluta, necesse est. A  
Chirurgis enim, qui cunctas, si, quam in posterum profitentur artem, felici  
cum successu exercere cupiant, chirurgiae partes rite cognitas habere de-  
bent,

bent, haud alienum erit, solidioris doctrinae initia in arte quoque obstetricia percipere. Bene igitur commodeque una cum Medicis interesse poterunt paelectionibus super hac disciplina habitis. Interim, cum illud auditorium semper maneat mixtum, id omnino spectandum, ut eiusmodi compendium eligatur, quod et methodo proponendi facili et stylo quodammodo aphoristico sese maxime commendet. In quibus inter alia omnino eminet *Fosteri* *Introductio*, quae nuper Lipsiae anno 1786 prodiit.

C. Minus sumptuosa discipulis erit institutio; si <sup>1786</sup>

- a) et Obstetricibus et Chirurgis et Medicis omnia conceduntur gratis; paelections; examina; testimonia; — Facultas vero medica, sua quae inde percipit iure, emolumenta ex instituti aerario accipit; si porro
- b) licitum est Obstetricibus, publicis huc vehi reuehique rhedis sine vclvrae impendio, acceptis insuper aliquot grossis pro itineris viatico.
- c) si eadem intra tempus, quo institutionis gratia hic commoren-  
tur, domicilium, et omnia, quae ad vitae pertinent necessitates gratis ob-  
tinent, et quidem in Instituto ipso, vt et omnis caueatur institutionis per-  
turbatio morumque prauitas et ipsarum parcatur paupertati; et partibus  
noctu vel ex improviso accidentibus interesse possint; et aegrotos visendi  
obseruandique meliorem nanciscantur opportunitatem.

Ne vero vrbes, pagiue illi, qui vnam tantum habent obstetricem, per tempus illud, quod hic transigit ista, omni deſtituantur auxiliatricē manū, ab initio statim quatuor mulieres hic loci habitantes erudiendae eſſent in Instituto, in eiusmodi vrbes pagosue ad illud temporis ſpatium dimitten-  
dae, publicisque ſumtibus interim alendae, quae ex partibus incidentibus  
emolumenta ibi conſueta ut praemium laboris accipient; mensibus vero

Julio



Iulio et Augusto, in quibus nullae ex agro vocantur obstetrics, redeunt ad Institutum, ibi officia exterarum obstetricum praesent. Succedente autem tempore, cum obstetrix aliqua vel vita defungeretur in urbe nostra, vel ex alia quacunque detum causa munere suo se abdicaret, una ex istis quatuor in praemium officiorum hactenus praesitorum a Magistratu urbis in defunctae locum esset substituenda.

4) De Modo, mulieres grauidas acquiriendi in Instituti commodum atque usum.

Si voluerimus impedire, quo minus ex defectu grauidarum vel manca fiat subsequentibus temporibus institutio, vel plane sit intermittenda, omnis cura eo dirigenda est, ut semper habeat mulieres grauidas Institutum partum edere suum in ipso cupientes. Quae quidem res in oppidis maioribus effectu haud adeo erit difficilis, ac in minoribus urbibus, in quibus incolarum animis eo profundius haerent infixa quasi atque innatae praeconceptae contra eiusmodi Instituta opiniones, quo minoris sunt ambitus et hominum copia carent atque multitudine deslituuntur. Nos vero, quin eiusmodi opiniones facile deleantur, neutquam dubitemus, modo res ita instituatur, vt

a) puellae ex illicitis amoribus grauidae nonsolum ab Instituto recipiantur, idque ipsis refugium sit, et quoddam quasi asylum, sed etiam aliis pateat aditus ad illud feminis, aduenis v. c. peregrinantibus, quas partus nimis acceleratus vel ex improviso obruens repente opprimat; grauidis peregrinis, quae propter inscitiam obstetricis, suorum incuriam, alias ob causas loco domicilii partum excludere nolint; honestioribus vel nobiliori stirpe ortis, quae clanculum et omnibus insciis parturire cupiant; egenis tandem grauidis, quae hic inde vagantes nesciunt, quem sibi eligere debeant, quo foetum, quem utero gerunt, edant locum.

Illae

Illae prioris classis grauidae ut modicam quandam pro domicio, vita, atque cura pecuniae summam et aerario Instituti soluant, et Professori Honorarium, aequum iustumque esse videtur. Hac autem mercede data liberandae etiam sunt ab officio, viros admittendi ad partum, cum posterioris contra classis grauidae, pauperes nempe, solis quippe Instituti sumptibus nutritae atque sustentatae impensis, officio teneantur obstetricae, obstetricibus nonsolum concedendi, ut gratis plane ipsas explorent, partusque intersint negotio, sed etiam medicis atque chirurgis, his tamen non nisi munere aliquo paruo accepto. Caveatur tamen, ne inscio Professore grauidae Institutum intrent, sed nuntient aduentum suum, ne oriatur confusio et plures grauidae adsint, quam ferat cubicolorum numerus et Instituti ratio postulet.

b) Porro nemo cogatur partum in Instituto edere. Quaecunque enim vi peragere cogimur, ea omnia, si vel utilissima nobis fuerint, taedium pariunt, summamque excitant indignationem. Praeterea timendum est, ne haec illae puella honestis nata parentibus et satis bene quidem libera-literque educata, sed callidis virorum seducta atque decepta persuasionibus perire malit, quam suum publice prostituere quasi corpus, omniaque adeo, quaecunque demum possit, ut quem in gremio alat suo mature depellat foetum, ante tentet, quam sese tradat publicae ignominiae. Hinc mea quidem sententia periculum per aliquot saltus annos facendum erit, utrum amicabili ratione res sit perficienda, eoque dirigenda, ut sponte veniant ad Institutum grauidae, nec nisi omnibus incassum tentatis lenioribus remediis, quae pertinaciam et vanas hominum opiniones depellere possint et frangere, vim adhibendam esse certissime persuasi sumus.

D

c) Res



c) Res Instituti tam bene disponantur, gerantur, tantaque cura atque solertia administrentur, vt non possit non placere omnibus, seseque ipsum maxime commendare. Itaque

α) curandum, vt, quae in Instituto accident et peraguntur, curiosis celentur, et omnibus munere aliquo in eo fungentibus silentium imponatur summum sub poenae grauissimae comminatione;

β) vt nemini, nisi personis ad Institutum pertinentibus aditus pateat et introitus concedatur; reliquis vero non nisi conscio ac permittente Professore.

γ) vt nulla quaecunque demum sit, quae recipitur grauida, cogatur suum vel viri ex quo grauida facta est, profiteri nomen: sed schedulæ tantum sigillo obsignatae proprio suum inscribat nomen, eamque tradat Professori, vt, si forte, vt sit interdum, moriatur in Instituto, is sciat, ex qua orta sit gente puella, adeoque propinquis ipsius testimonium mortis (Todtenschein) fide dignum exhibere valeat. Schedulam vero, si viua discedit, sigillo minime demto vel violato recuperet.

δ) vt possint grauidae nobiliores laruis ac velamentis tectae, vel alia ratione, quaecunque ipsis lubuerit et optima visa fuerit, absconditae intrare Institutum; possint quoque paucis pluribusue diebus ante partum, vel ipso instantis partus momento sese recipere in illud; possint porro vel discedere simulac partum ediderint, vel diutius ibidem commorari; possint denique cubicula sibi eligere a reliquis separata; pedissequas secum adducere etc. — Quae vero omnia grauidis tantum trium priorum clas-

sium

γ) Idem mos iamiam obtinet in nouo Nosocomio Vindobonensi maximo; vid. Baldinger. Cel. in Promtuar. nou. medic. Vol. VI. p. 548. et Pylii Promtuar. med. forens. Vol. II. P. IV. p. 779. — Scheif. I. c. Vol. V. p. 163.

sum concedenda videntur, soluentibus illis pretium aliquod pro partus in  
Instituto edendi venia aerario Instituto.

ε) ut pauperes grauidae cibo potuque bono et sufficien<sup>t</sup> per quatuor  
integras, pluresue si, necessitas postulet, hebdomades publicis alantur  
sumtibus, medicamina et stragula commoda atque pura gratis accipient,  
nec non munuscula quaedam a Chirurgis et Medicis tironibus pro venia  
ipsas explorandi, ipsas inter pariendum spectandi; ut gratuito baptizen-  
tur infantes; ut, cum in Instituto moriuntur, propinquis atque cognatis  
vestimenta, et quam secum apportauerant supplex sine ullis reddantur  
ambagibus vel impensis; ut omnes vestimenta accipient ex panno, qui  
Fries vocatur, confecta et peculiari colore tincta, quibus vtantur non so-  
lum quandiu in Instituto versantur, sed etiam cum ex Instituto discedant,  
secum auferant. Eiusmodi enim singulari amictu, quem perpetuo per  
commorationis tempus in Instituto portant, non modo omnibus agnitu  
faciles erunt, sed impedientur etiam, quo minus pro lubitu extra Instituti  
muros circumnavigari, vel puerperio absoluto clam aufugere, et recens na-  
tum infantem Instituto alendum relinquere possint; tum vero in primis  
attendendum, ne ipsis generis grauidae vestibus nimium detritis, sed bo-  
no mundoque habitu Institutum intrent, ne quae ante accessum iam su-  
gam meditantur grauidae, secum afferant pannos viles, quibus, cum disce-  
dunt, facile possint carere. \*

ζ) ut grauidae nondum matrimonio iunctae ipsisdem, quibus uxores,  
fruantur commodis atque emolumentis.

D 2

η) ut

η) Eadem ratione agitur in Hospitio quod Berolini est Charitatis dicitur: — In  
Nosocomio Stralfundico, vid. Scherf l. c. Vol. V. pag. 18. 85. In Nosocomio  
Vindobonensi maximo, Scherf. l. c. Vol. V. p. 156.



η) ut puellae ex illicitis amoribus grauidae ab omnibus liberentur publicis, ignominiosis et iudicialibus poenis et omnibus ne ipsis admissum exprobretur flagitium, sub poenae grauissimae minis interdicatur. Eiusmodi enim puellae nostrum omnino merentur auxilium, nostramque misericordiam, cum incontinentia ipsarum, omniaque inde manantia mala ex labo oriatur, hominibus adeo communi et naturae humanae propria quasi atque insita, cum tributum quod edito infante ciuitati solvunt, nosmet cum ipsis reconciliare quodammodo possit, praecipue vero infanticiis omnium optime hac ratione occurratur. Ex quo enim tempore Parisiis eiusmodi Institutum conditum fuit, nulla amplius illius facinoris vestigia supersunt. <sup>η)</sup> Idem in praesenti Holmiae, vbi infanticidium olim haud raro committebatur, obseruatum est. <sup>t)</sup> — Né vero quis putet, nos inauditum quid postulare, nec hactenus usurpatum, pauca tantum huiuscemodi afferamus exempla. In terris Suecicis <sup>s)</sup> non solum, sed etiam Borussicis <sup>t)</sup> ab omni contumelia et poenis ignominiosis liberatae sunt grauidae; in Palatinatu <sup>z)</sup> in Instituto Herbonnensi, cui praepositus est Fritze, Vir, de re medica insigniter meritus; <sup>z)</sup> in terris Moguntiis <sup>z)</sup> vid. Dictionnaire Encyclop. Verb. Exposit. d'Enfant. Etat de la Medecine, Chirurgie et Pharmacie en Europe pour l'annee 1777. pag. 216.

<sup>t)</sup> v. Ill. de Hess. libera de rebus politicis iudicia —

<sup>u)</sup> vid. Nouell. Francosurtens. imperial. ao. 1779. pag. 134.

<sup>x)</sup> vid. Edict. ao. 1765. promulgatum, in quo expressis et disertis verbis dicitur: Quapropter ut maius caueatur malum, omnes meretricum poenae, cuiuscunque demum sint generis, a dato abrogandae plane sunt atque interdicendae — et porro — Eiusmodi mulieres commissi vitii causa nullis amplius affligendae sunt poenis, nec licitum, ipsis exprobare vitium, aut ignominia aliqua afficere.

<sup>y)</sup> Secundum edicta ann. 1760—1767. euulgata. <sup>z)</sup> v. Scherf. I. c. Voll. II. p. 308.

nis; <sup>c)</sup> in Instituto, quod Göttingae in vsum grauidarum et parturientium conditum est etc. hic mos iam obtinet. Nec dubitamus affirmare, eiusmodi legem, qua grauidae ab omni publica liberantur poena, optimum esse incitamentum ad alliciendas grauidas, *in primis, si faueat iis, quae in Instituto puerperium subire cupiant.*

<sup>d)</sup> vt Institutum etiam ab hac parte sese commendet, ut copiam alat bonarum nutricum, e qua peti possint nutrices sanæ et admitti ad familiæ honestas.

<sup>d)</sup> Ut pauperibus et nondum maritatis grauidis praematurus ad Institutum accessus interdicatur, ne pauci illi leculi ab iisdem nimis diu et una serie occupentur personis, quo facto, facile et institutionis cursus impediretur, et pauciores tantum grauidae participes fierent beneficii ex Instituto percipiendi.

<sup>e)</sup> ut omnes scabie, venerea labe, vel alio quoconque contagioso morbo infectae ab Instituto arceantur, ne quis ex iis, qui in Instituto agunt et viuunt, eiusmodi corripiatur malo, nec nutrices ex Instituto missæ morbos illos tetros secum auferant atque ulterius propagent.

<sup>f)</sup> Ut accurata quotannis fideque digna Instituti edatur historia, qua et Instituti narretur conditio et commoda percenseantur, quibus grauidae fruuntur in ipso parturientes, et consumtionis impensarumque ratio redditur, et morborum indoles atque conualecentium defunctorumque numerus exponatur, ita ut omnia, que in Instituto peracta fuerint, publice innotescant.

<sup>g)</sup> Ut, grauidae cum deficiant primis præcipue annis, Instituto licent, alias interim mulieres externis internisque morbis afflitas, talibus modo,

D 3

<sup>a)</sup> vid. Goeckingii Diarium de rebus in Germania gestis Part. VIII. p. 136.



modo, qui curam admittant, nec contagiosae sint indolis,) suscipere, quo sensim assuefcere discant Instituto homines, eideinque faueant, nec subitanea in Institutionis cursu oriatur cessatio; sed Medici atque Chirurgi tirones interea in arte clinica saltem, vti obstetrices in cura et ministerio aegrotantibus exhibendo instruantur atque exerceantur. —

h) Ut proles matrum vel in Instituto defunctorum, vel adeo pauperum, vt superato partu quo se vertant cum recens nato et vnde victum sibi comparent necessarium, plane nesciant, retineantur, ibidemque educuntur, donec in aliud transpontari et recipi queat Orphanotropheum: —

i) Ne villa in Instituto defuncta mulier publice fecetur in theatro anatomico, sed si opus fuerit sectione ad indagandam morbi indolem, naturam atque sedem ea administretur tantum praesentibus Medicis, Chirurgis et Obstetricibus in Instituto versantibus; hac vero rite absoluta humetur corpus more recepto et solemnitate.

### 5. De Cura personis in Instituto viuentibus vel munere aliquo fungentibus, impendenda.

Haec cernitur

A, in eo, vt victum habeant bonum et sufficientem: Cibum enim et potum suum haberi ab hominibus de plebe bonum, nec aliud quidquam tanti ab ipsis aestimari, inter omnes constat. Hinc si hac ex parte bene cautum est, atque prospectum Instituto, multa sponte corruent, quae ei possint obesse eiusque perennitas iam satis praeparata esse videtur. Nec minus eiusmodi victus multum confert ad sanitatem aegrotantium restaurandam et morborum decursum rite absoluendum, maximamque vel hoc respectu meretur attentionem. Omnis igitur cura, si victus ita comparatus esse debeat, vt fini respondeat proposito, ad cibos et potus genera est vertenda, et ad priores quod attinet,

a) dele.

a) delectus quidam ciborum habendus est, nec unus idemque omnibus impertiendus: Alium grauidae fanae, obstetrics agrestes, ancillae — Alium *Obstetricans* Instituti foemina, Chirurgus et Oeconomus accipiunt necesse est. In domo obstetricia Argentoratensi puerarum viclus primis post partum diebus constat ex iuscule carnium tenui, mucilagine oryzae et granulorum degluptorum, crimno, Oryza e. s. p. Praeterlapsis aliquot diebus, cum vires iam quodammodo refocillatae sunt, iusculum carnium bis quoquis die, ouum sorbile, alicant, milium, fructus horaeos et panis albi portionem vnciam unam et dimidiem aequantem, pauxillum vini meracioris accipiunt: — Paulo serius ipsis praebentur et prandii et coenae loco iusculum carnium, libra dimidia carnis vitulini, panis bene cocti vnciae duas et dimidia et vni pauxillum: <sup>b)</sup> — Grauidae vero fanae una cum *Obstetricibus* agrestibus presentaculo accipiunt iuscula ex farina, cereuisia vel auena excorticata parata, — pro Prandio aestatis tempore carnes cum oleribus, quae anni tempus fert, recentibus; — hiberno tempore carnes cum obsoniis varii generis paratas, qualia sunt Alicia, Oryza, Granula Hordeacea deglupta, Milium, Ciceris, Lentes, Fabae, Solani tubera et id genus alia; — Vespertino autem tempore obsonia tantum et pultes. — Panis bene fit fermentatus, coctus et unius eiusdemque farinæ, nec ulli licet subtiliorem candidioremque farinæ partem sibi præsumere; inde enim fieret, ut nonnulli pauciores, nempe illi, qui altiori dignitatis gradu in Instituto se collocatos esse existimarent, meliorem quidem vel saltem digestu leuiores panem obtinerent, reliqui vero grauiorem longe et concoctione difficiliorem. Hinc curandum, ut omnes bono vescantur pane, h. e. bene subacto, co-  
 30

b) v. III. Baldingeri Promtuar. nov. med. VI. p. 458.



cto et ex uno eodemque satinae genere confecto. — Hic vero quæstio  
oritur, utrum utile sit omnibus et singulis unum communemque propone-  
re panem, an magis proficuum Instituto, si quilibet singulis vicibus par-  
vulum accipiat panem, quod in Conuictoriis et Scholis provincialibus no-  
stris usu venit. Negari equidem non potest, posterior si probatur ratio  
summarum consunti frumenti facilius erui et accuratissime computari posse,  
Contra vero, cum omnes simul et communiter uno eodemque vescuntur  
pane, modo hoc fiat definitis temporibus, h. e. mane, circa meridiem, et  
vespertino tempore, certum est, haud adeo multum panis inutiliter pro-  
fundi, nec mendicorum hominum conuentibus circa Institutum ansam-  
dari. Propterea iamdudum quoque inualuit iste mos in familiis maioriori-  
bus, ubi duodecim vel plures seruorum seruarumque quotidie aluntur, et  
ipsimet mihi variis ex causis perplacet ista ratio, et vario respectu praæ-  
ferenda esse videtur.

b) Quantitatis ciborum quaedam habenda ratio: In genere haec  
valeat regula: Tantum detur cibi, ut cuiuslibet necessitatibus suffi-  
ciat: Quantitatem enim ciborum ita definire, ut cuiuslibet personae  
portio separatim destinetur, res esset nullius non solum utilitatis, sed et  
iam difficillima, et fere impossibilis. Ego vero (quod aperte profiteri  
haud erubesco) in definiendis his rebus Conuictoriis nostri, aliorumque  
extraneorum Institutorum rationem secutus sum, eandemque ad nostrum  
transtuli Institutum, quatenus nimirum mores urbis et Instituti ipsius ra-  
tio permetterent. Et secundum hanc normam portiones ita essent consti-  
tuendae, ut quaelibet persona pro prandio carnis tertiam partem librae  
et panis octodecim uncias in diem totum acciperet. De obsoniis eorum-  
que distributione plura vide infra.

Hinc

Hinc norma ciborum tota ita esset formanda, ut *mane* iusculum datur quodecumque, *meridie* carnes cum oleribus vel obsoniis, *vesperi* obsonia tantum. Et viclus ille simplex, modo rite sit praeparatus et sufficienti porrigitur copia, sanitati pariter conuenit, ac rationibus Oeconomi minime molestus erit. — Potum vero optimum semper obtinebis sine dubio tum, cum Oeconomus licuerit, modo hanc, modo illam, quam Medicus optimam censuerit, vel ex vrbe vel ex agris apportare et suppetitare cereuissiam. Et huius cereuissiae mensuram dimidiari quaelibet in Instituto viuentium persona in prandio pariter ac coena accipiat. Chirurgus vero, foemina obstetricans domus, atque Oeconomus distinctionis gratia mensuram integrum; —

Cum vero vtrumque nimirum, vt bonitate et quantitate praescripta homines in Instituto versantes eibum et potum obtineant, non tam a beneuolo animo et praescriptis primorum fundatorum pendeat, quam postius a pia et religiosa Oeconomorum administratione; optimum fore putamus, curam et administrationem huius Instituti viris committere probis bonaequae fidei, qui accurate in tabulas referant accepta atque expensa, et quotannis rationes reddant exactas; quibus minime concessum sit, praeter salarii destinati summam et immunitates domicilii, viclus, lignorum et candelarum ullum sibi ex redditibus Instituti parare commodum, vel quaerere lucrum <sup>c)</sup> Conductores enim isti publici, quibus plerumque cura et administratio eiusmodi Institutorum traditur, parum aut nihil solliciti

c) Simili ratione et Hospitium Charitatis dictum Parisiense; et quod Ienae floret Institutum administratur, nec quidem male. Legenda est in hunc finem norma hospitiorum militarium in Gallia conditorum d. 2do Maj. ao. 1781. promulgata, quae reperitur in epitomen redacta in Scherf. report. V. 184.



liciti de vita et sanitate hominum tuenda et promouenda, sed suis tantum intenti commodis, et lucri vel turpisimi libidine abrepti res peragunt ratione ipsis maxime quaestuosa. —

B. Curandum porro est, ut apta et commoda instructum sit supellestili Institutum: Hinc quaevis grauida atque puerpera lectulum habeat proprium sibi, propriaque in quibus reponat recens natum infantem in cunabula; — Spondae omnes loris sint vinclae, nec asseribus tabulatae, ne stramina hinc inde dissipata immunditiem cubiculorum et incendii periculum, nec puluis stramineus foeminis molestias pariat; — Tabula ad extremitatem spondae superiorem sita margine instructa sit prominentiori, cui exponantur medicamenta et oblectamenta puerperis atque aegrotantibus destinata. — Loco culcitarum substratarum plumearum (Unterbetten von Federn) mattis iucubant pilis equinis sarcitis, et loco puluinariū plumis farctorum, rotulis et puluinariib⁹ vtantur pilis eiusdem indolis resertis; — Loco stragulorum superiorum (Deckbetten) tegminibus vtantur ex panno duplicato, qui Fries vocatur confectis, et ab inferiore parte linteamine consutis; — Pannus tandem cera obductus cuius detur puerperae, quo stragula teget primis post puerperium transactum diebus. Atque ita lectulorum haberemus appratatum haud adeo pretiosum, nec tamen minus sanitati conuenientem ac facile mundandum. In vniuersum nihil deficiat, quod grauidis atque puerperis commoditatem dolorumque leuamen praebere et ipsis adiumento esse valeat.<sup>4)</sup> Hinc in quoquis puerparum cubiculo Sella reperiatur maior brachiata; Sella perforata; matula; Suppositorium; lampas nocturna; alueus balnearius; fascia

<sup>4)</sup> Eodem modo deprehenditur in militaribus Hospitiis gallicis: v. Ordonance du Roi portant Reglement general concernant les Hopitaux militaires du 2 Maj. 1781.

fascia abdominalis et totus apparatus ad inuoluendos et baptizandos recentatos infantes necessarius; —

Sed caetera quoque cubicula personarum munere aliquo in Instituto fungentium, Ammanensis nimirum, Foeminae obstetricantis, Obstetricum agrestium, Oeconomi, Seruarum, Ianitoris, nec non cubicula Paruulorum in Instituto educandorum, cubiculum in quo Puerperum perficitur, Auditorium, Laboratorium etc. Mensis, Sellis, Scriniis, Scamnis, Repositoriois, lectulorum Spondis, Vasis lauatoriis, Matulis, Lampadibus, Mantilibus et fenestrarum Velis etc. exornanda atque instruenda sunt.

C. Agendum etiam hoc est, ut apparatus medicinalis, instrumentarius, chirurgicus plenarius adsit atque comparetur: Quamquam enim medicamenta carioris pretii non nisi summa necessitate urgente in eiusmodi Institutis adhiberi solent atque debent, et omnis sanatio ad normam Pharmaciae pauperum Instituti Clinici Hamburgensis instituenda sit, medico tamen nihilominus licitum esse debet, alia quoque medicamina in ista Pharmacia haud recensita vel deinceps demum reperta in ysum vocare et cum ipsis pericula facere. Quae ut genuina et vilissimo, quo possint, obtineantur pretio, Lipsiae — Hamburgi vel alibi petenda sunt, cura atque opera Professoris Instituti et in Instituto ipso ulterius praeparanda, quo simul Medici et Chirurgi tirones opportunam nanciscantur occasionem, in arte pharmaceutica sese exercendi. Plenarius vero instrumentorum et fasciarum apparatus propterea necessarius esse videtur, quod primo nemo praeuidere potest, quid possit accidere hominibus in Instituto iuuentibus. Quamquam enim morbi chirurgici s. externi proxime cum arte obstetricia coniuncti non sunt: tamen si in Instituto demum exorti fuerint, hic quoque ut tollantur aequum esse videtur. Deinde ad prae-



ctiones Chirurgis publice riteque habendas Instrumenta chirurgica et fasciae omnis generis necessario requiruntur. —

D. Nec minus ad curam hominum in Instituto viuentium bene gerendam et ordinem bonum seruandum pertinet, ut sufficiens hominum adsit numerus, quibus res Instituti administrari, et negotia rite absolvi possint: Praeter Professorem igitur, homo quidam siue *Chirurgus* sit, siue alius constituantur, qui ad manus sit professori, et, si necessitas postulauerit, eius possit munere fungi: Quam facile enim fieri posset, ut Professor rebus ex improviso incidentibus, morbis, laesionibus manuum aliisque modis impeditur, quo minus artem obstetriciam exercere posset. Praeterea quoque multa in eiusmodi Instituto occurrent negotia accessoria a tali homine facile peragenda, quae vero vel a dignitate Professoris aliena sunt, vel omnino non possunt ipsis iniungi, qualia v. c. sunt Venae sectiones, Ligatura vulnerum, Praeparatio medicamentorum pharmaceutica, ipsorumque trutinatio atque dispensatio; cura ventilatorum et calefaciendorum cubiculorum, diarrii aegrotantium consignatio, purgatio et repositio instrumentorum chirurgicorum, fasciarum fabricatio atque mutatio. Is vero his fere adstringatur legibus

- a) ne vñquam ex Instituto discedat inscio nec concedente Professore;
- b) ne praxin extra Institutum exerceat, ipsique plane renunciet;
- c) ne nisi sex integris absolutis annis a pacto inito dimissionem postulet.

*Foemina obstetricans* bene instituta atque erudita; quae munditiei mulierum curam gerat, et ad alia grauiditatis et puerperii tempore ipsis propria bene attendat; quae obstetrics ex agro aduenientes munera et officia doceat; inuolutionem et balneationem recens natorum dextre efficiat; omnia, quae ad baptizandos infantes pertinent, paret; Sepulturas curet; precibus quotidianis cum gratiis, puerperis et obstetricibus mane, ve-  
speri,

speri, ante prandium et coenam publice habendis interficit, easque ador-  
net; in omnibus casibus vel noctu incidentibus prompta sit, nec morosam,  
nec segnem se praefter, sed potius, necessitate ita ferente, nocturno quo-  
que tempore puerperas aliquoties visitet, etc. Et haec quoque statim in  
aliquot annos esset conducenda et a praxi extra Institutum retinenda.

Addenda erit *Ministra*, cui incumbet Mane per omnes fornaces ac-  
cendere ignes; mensas sternere; cibos apponere; Chirurgo, Foeminae  
obstetricanti, Grauidisque pro parata pecunia puerperium in Instituto sub-  
euntibus ministrare; lotionem linteaminum eorumque laevigationem vel  
cylindri (Rolle) vel ferramenti laevigatorii ope curare, et inspec-  
tionem gerere totius per cubicula distributi suppellectilis et. Accedat

*Ianitor*; qui claudat et aperiat ianuas; omnes in Instituto ministran-  
tes personas suscitet; aduenias nuntiet; puerperio incidente Professorem,  
Medicos et Chirurgos tirones conuocet; ne res vetitae vel inferantur vel  
exportentur inuigilet; ligna caedat Instituto quotannis necessaria eaque  
apportet; puluerisationem medicamentorum et concisionem radicum per-  
ficiat; in genere omnia peragat, quaecunque demum virilem requirunt  
operam. Adhibendus porro est *Oeconomus maritatus*; hunc oportebit,  
nomina grauidarum in Instituto receptarum iterumque dimissarum tabulis  
consignare ad schema quoddam conformatis; nec non acceptorum et ex-  
pensorum quotidianorum rationes confidere; notare penum rerum cum  
iam conditarum, tum recenter ab ipso comparatarum; supellecitem no-  
vam rationario inferre; et horum omnium rationes singulis mensibus vel  
adeo hebdomadibus Viro, qui Instituto rationibus praefest (Rechnungsfüh-  
rer) vna cum notulis mercatorum tradere, vt dispungentur ab ipso atque  
absoluantur. *Vxor* vero ipsius ciborum emtionem in foro, obsoniorum  
aliarumque rerum Instituto necessiarum curet; cibos paret et aegrotan-



tibus ad praescriptum Professoris et reliquis ad normam vniuersalem; supellectilis domesticae reparationem vasorum culinarium et reliqui apparatus procuret; nec non, vt linteamina rite lauentur et sarciantur, inuiglet; vestimenta ex panno, qui Fries dicitur, confecta distribuat; cet. Utatur autem *Ancilla* culinaria ad labores culinarios peragendos et munitionem seruandam.

Constituatur etiam, *qui redditibus praefit*, cui mittatur et soluatur pecunia Instituto numeranda, a quo iterum solutiones pro Instituto fiant, et rationes vniuersales reddantur; Hoc vero munus, vt sumtibus parcatur maioribus, viro demandandum esset bonaे fidei, hic loci iamiam comoranti et simili<sup>m</sup> munere fungenti, pro quibusdam inde percipiendis emolumentis.

*Obstetrics peregrinae* quatuor illae ex agris Institutum Institutionis gratia missae adhibeantur ad custodiam et ministerium aegrotantium, horis nempe iis, in quibus institutionis vacant disciplina; ad lauanda linteamina; ad mundanda et purganda cubicula, ita quidem, vt binæ ministerium puerarum habeant et quae huc pertinent negotia peragant, dum reliquae lotiones linteaminum curent, et sic vice versa. Qua quidem ratione Instituto nonsolum multum seruaretur pecuniae mercenariis alias impendendae, sed obstetrics etiam addiscerent simul et quidem quasi aliud agendo praeter Artem Obstetriciam custodiam et ministerium aegrotantium. Mensibus vero aestiuis Iulio nempe et Augusto, in quibus nullae, messis causa ex agro veniunt obstetrics, quatuor illae ex peregrinationibus suis ad Institutum redeentes illarum loco officia praestent supra commemorata.

Nec desit minister ecclesiae ad baptizandos infantes et coenam sacram aegrotis exhibendam; quodvero munus pro annuo aliquo stipendio vni ex Diaconis ecclesiae metropolitanae committendum.

Con-

Constituenda denique erit *Mulier*, quae curet infantes vel ex morte matrum ibidem defunctorum, vel ex aliis causis Instituti curae atque tutelae relictos et commissos.

E. Ordo bonus in Instituto seruabitur, si porro negotia quotidiana certe quadam ratione et serie definita perficiuntur: ad exemplar Hospiti Charitatis Parisiensis sequens fortasse norma mutatis tamen mutandis introducenda esset.

Omnis mane simul surgant definito quodam tempore; et quidem aestiuo semestri hora sexta, hiberno vero hora septima audita. Iunitor autem et communis ministra, hora vna prius quam reliqui surgunt, ille nempe ut fuscitet et ianuas aperiat, haec ut ignes accendat et calefaciat cubicula.

*Hora VI<sup>ta</sup> ad VII<sup>mam</sup>* preces publicae cum grauidis, conualescentibus, obstetricibus, peregrinis et ancillis habeantur, auspicante et praeside femina obstetricante Instituti: deinde medicamenta porriganter aegrotis.

*Hora VII<sup>ma</sup> — VIII<sup>vam</sup>* Ientaculo destinata sit:

*Hora VIII<sup>va</sup> — IX<sup>nam</sup>* Lecluli sternantur, linteamina mutentur, cubicula purgantur et suffitus incendatur.

*Hora IX<sup>na</sup> — ad X<sup>mam</sup>* Aegrotae visitentur, medicamenta propinentur aegrotis, noua praescribantur, et in tabulis supra aegrotorum leclulos affixis notentur; nec non ligatura<sup>e</sup> vulnerum renouentur.

*Hora X<sup>ma</sup> — XI<sup>mam</sup>* Medicamenta a Professore paullo ante praescripto parentur ab Ammanuensi et dispensentur; Medicis vero atque Chirurgis tironibus praelectiones interim habeantur de arte chirurgica vel obstetricia.

*Hora*



*Hora XI<sup>ma</sup> — XII<sup>mam</sup>* Prandium et quidem primo puerperae; dein gridae, obstetrices peregrinae, seruae et ianitor, omnes simul accipiant; tandem Oeconomus cum Chirурgo et Foemina obstetricante in prioris domicilio.

*Hora XII<sup>ma</sup> — II<sup>mam</sup>* Quilibet suas curet res in horto vel area domus obambulet, cuicunque lubeat, auram liberiorem hauriat et motu corpus exerceat;

*Hora III<sup>da</sup> — III<sup>mam</sup>* Institutio Obstetricum.

*Hora III<sup>ta</sup> — IV<sup>mam</sup>* Repetita aegrotantium visitatio et ordinatio medicamentorum nouorum, nec non porriganter praesentia et ligature vulnorum, vbi opus est, renouentur.

*Hora IV<sup>ta</sup> — V<sup>mam</sup>* Medicamenta denuo praescripta praeparentur et porriganter aegris.

*Hora V<sup>ta</sup> — VI<sup>mam</sup>* Cuiuslibet propriis negotiis peragendis vacet.

*Hora VI<sup>ta</sup> — VII<sup>mam</sup>* Coena ordine, quem supra descripsimus.

*Hora VII<sup>ma</sup> — VIII<sup>mam</sup>* Lectuli iterum sternantur aegrotis.

*Hora VIII<sup>ta</sup> — IX<sup>mam</sup>* Preces vespertinae ad normam praescriptam habentur, a Foemina obstetricante domus, et medicamenta aegrotis ultima vice porriganter.

F. Tandem ad bonum ordinem conseruandum requiritur Inspectio fida atque solers et Subordinatio accurata; Sine hac enim nullus rixarum et controversiarum finis esset futurus in eiusmodi Institutis;

Omnis igitur, quicunque demum sint in Instituto versantes et agentes, Professori perfectam et promptam praestent obedientiam; Is vero omnium rerum et actionum rationem reddat Facultati medicae et Curiae supremae; modo dirigendi prouincia inter plures simul haud dispiciatur; Experiencia enim saepe iam docuit, multis simul imperantibus curiam rerum gerenda-

rehdarum maxime aggrauari, in longius protrahi, immo saepe plane sufflaminari, saltem non ita, uti deberet, procedere posse. Deleculs hominum in ministerium Instituti conducendorum et constituendorum, excepto Oecono<sup>mico</sup>, soli Professori relinquendus, quippe qui, cum quotidie cum ipsis negotia habeat, omnium optime dexteritatem ipsorum diuidare possit. Nec minus ipsi liberum sit, dimittere iterum et a munere remouere, quemcunque inhabilem vel immorigerum vel segniorem in officiis exequendis deprehenderit.

Professore absente Ammanueusi praecipue et Feminae obstetricanti et in rebus oeconomicis Oecono<sup>mico</sup> parere debent reliqui, eorumque dictis obedientes esse.

In vniuersum omnia negotia ad Normam vniuersalem Instituto praescriptam et singulares cuilibet, qui in ministerio Instituti est, datas regulas dirigenda et perspicienda sunt.

Omnis in Institutum admittendae obstetrics et recipiendae grauidae primo se fstant Professori, ab ipso receptionis schedulam accipient, Oecono<sup>mico</sup> tradendam, qui libro Oeconomico eam inserat et admissas ab isto temporis momento rebus instruat necessariis.

Omnis grauidae nouissime receptae exemplo induant amictum in Instituto receptum atque solennem, propria vero, quae secum apparet vestimenta, Oecono<sup>mico</sup> custodienda tradant, donec Institutum item deserant.

Nulli grauidarum vel puerperarum liceat stipem petere ab exteris peregrinantibus, Institutum visentibus.

Nemo Medicorum et Chirurgorum tironum cubicula aegrotantium visitet, nisi praesente Professori et horis consuetis ad visendos aegros destinatis, ne molestias inde patientur aegrotae, somno fortasse ipsas obrepente turbentur et improviso terreatur.

Singulis mensibus Oeconomus ei, qui rationibus et aerario praeest, praesente Professori rationes reddat reddituum et expensarum tabulis ad Schema praescriptum confectis.



Omnès Praefecto aerario ad solutionem oblatæ notulae et apóchae (Quittungen) Professoris nomine ante signatae et ab ipso approbatæ sint, necesse est.

Praefectus aerario quotannis *tabulas generales* conficiat easque proponat, ut praesentibus Facultatis medicae Assessoribus, Professore atque Oeconomio disquirantur, dispungantur et posthaec ad Collegium regimini supreni initiantur.

Tandem Facultas medica semel bisue per annum *visitet* Institutum, eiusque inventarium inspiciat et de conditione ipsius, incremento, vitiis, quibus fortasse adhuc laborat atque premitur, corrigendis, emendationibus suscipiendis ad Collegium regiminis supremi referat.

### Subsectio Tertia.

#### *De comparando Apparatu Instrumentario Obstetricibus et Chirurgis obstetricantibus necessario.*

Quamquam omnes fere, quo sunt artis obstetriciae et politiae medicae scriptores, necessitatem atque usum sellarum obstetricium sumtibus publicis bene constrularum uno ore et luculenter demonstrarunt atque commendarunt: tamen experientia quotidiana docet, eas in plurimis locis vel plane desiderari adhuc vel tales esse, ut ineptae prorsus sint, nec fini respondeant proposito. Ne Physici quidem atque Chirurgi omni apparatu ad artem obstetriciam exercendam necessario ubique sunt instructi, non igitur mirandum est puereras haud raro omni desitui auxilio. Haec vero impedimenta Rei Obstetriciae bene instituenda contraria, omnium optime tolli posse mihi videntur hoc fere modo:

Cuilibet Obstetrici publice constitutae et cuius Chirurgo priuilegio exortato necessaria ematur ex aerario Instituti Supellex obstetricia, ipsaque tradatur tanquam Inuentarium perpetuum et Rem cuius vrbis pagone, vbi artem suam exerceat, propriam, quam et ipsi et ipsorum familiia

lia bene custodire et si ex negligentia forte perdatur vel corruptatur, in integrum restituere obstricti tenentur. Hinc quoque a Physicis interdum ista supplex inspicienda erit.

Obstetrics instrumenta tantum ad partum naturalem absoluendum necessaria obtineant: Chirurgi vero omnia, quae ad difficiliores quoque et praeter naturales partus peragendos pertinent et requiruntur. — Ad Apparatum Obstetricibus necessarium atque utilem eisdem numero 1) Sellam obstetriciam a Cel, Steinio emendatam; 2) Siphonem ex flanno confeatum cum tribus cannulis, quarum altera ad injectiones vterinas, alterae duae ad clysmata matri et recens nato iniicienda adhiberi posunt; 3) forficem ad funem umbilicalem absindendam apicibus obtusis instrumentam; 4) Instrumentum ex Resina elastica confeatum lacri ex mammis educendo inferiens, quod vulgo vocatur; (Brustflasche) 5) Compendium artis obstetriciae ad quod instituti fuerunt.

Chirurgi vero obstetricantis apparatus sequens est:

- 1) Forceps Leuretiana ab III. Starkio mutata et emendata;
- 2) Vectis Roonhuysianus;
- 3) Perforatorium Leuretianum, nec non 4) Smellianum;
- 5) Peluimenter Steinii;
- 6) Vacus Smellianus a Leureto emendatus;
- 7) Catheter foemineus.

Et si idem ut supra meum fuit consilium, praeter artis obstetriciae exercitium, Chirurgum simul agere et Sectiones forenses in ipsius Circulo occurrentes perficere debeat, insuper adhuc accipiat varia instrumenta tum anatomica tum chirurgica maxime necessaria: v. c. Thecam cum scalpellis anatomicis, forifice, volsella, tubulis cet. Instrumenta Trepanationis, Amputationis, Catheteres, Acum triquetram, Conductorem Rabatori opera Hægeni Berolin. emendatum ad repositionem luxatorum membrorum utilissimum: Sellam Ungerii in fracturis ossium adhibendam. —

Subse-



Sublectio Quarta.




De Norma Obstetricia.

Ita equidem appello Collectionem Edictorum atque Legum a Principe latarum, in quibus varia praecipiuntur ad artem obstetriciam rite docendam, recte descendam et dextere exercendam utilissima atque efficacissima consilia. In duas partes sponte et sua quasi natura diuiditur haecce collectio, quarum *Prior* illa comprehendit Edicta, quae ad studium artis obstetriciae pertinent; *Posterior*, quae exercitium ipsius spectant. Edicta prioris classis iterum sub quibusdam titulis essent digerenda atque disponenda, eo fere ordine, quo antea dedi consilia et enarraui subsidia ad Institutum artis obstetriciae aptum atque idoneum condendum adhibenda. Edicta posterioris classis in duas iterum subdivisiones disponantur, quarum *Altera Generalia*, quae ad artis obstetriciae exercitium in vniuersum pertinent, *Altera vero specialia* comprehendit, quae ad Physicos, Chirurgos et Obstetrices attinent, in quibus istorum hominum officia enarrantur, vt quisque sciat, quid ipsi agendum omittendumue sit, et quae nam operae sperare debeat praemia. —



Eiusmodi vero hic delineare velle normam obstetriciam, quae vel minutissima persequeretur, superfluuus plane esset labor atque inanis, quippe que nihil aliud contineret, nisi proleta iam iam ad Rem obstetriciam emendandam consilia denuo repetita aliisque verbis expressa.



His absolutis superesset tantum, vt *Suntuum* et *Impensarum Summam*, quam fundatio et sustentatio eiusmodi Instituti requirat, erueremus et indicaremus, unde facile optime atque certissime confici et possit et debeat. Quod vero, cum nec tempus sufficiat, nec alia negotia id permittant, pace atque venia Lectorum in aliud tempus differamus.

TAB. I.





TAB. I.









1.8AT




TAB: II.



TAB: II.





TAB. II



20 FEB 1982

TAB. II



*Hn 1092*  
*Um*

**ULB Halle**

006 684 394


3



*VDA 8*



B.I.G.



2

# DE CVRA QVA RES PVBLICA PROSEQVI DEBEAT REM OBSTETRICIAM

COMMENTATIONIS MEDICAE

SECT. II.

SVBSIDIA COMPLECTENS AD REM OBSTETRI-  
CIAM EMENDANDAM EFFICACISSIMA

A V C T O R E

CHRISTIANO AVGUSTO LANGGVTH

PHILOSOPH. ET MEDICIN. DOCT. PROFESS. PVBL. EXTR.  
ET SOCIET. OECON. ELECT. SAX. SODAL.

HONORAR.



WITTEBERGAE

TYPIS DÜRRII CI CI O C C L XXXVIII.

